Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

humanitatis dispensationem, danieli scilicet filio dei, qui est in lacu leonum per assumpte carnis mysterium. Daniel enim iudicium dei dicitur: per quem ille exprimitur, cui omne iudicium a patre traditur. Qui tunc in lacu leonum mittitur, cum hanc vitam que plena est temptationibus pro nostra redemptione ingreditur. Leones enim malignos spiritus designant, qui in hoc mundo quasi leones circueunt querentes quem devorent. Quod autem per babylonem que confusio dicitur, assumpte carnis dispensatio figuretur, Ysayas testatur, qui in persona ipsius redemptoris loquitur. Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum, quia per assumptam humanitatem factus sum in cruce mundo et angelis et hominibus spectaculum. Dicit ergo angelus abacuc, ut ferat prandium danieli quod habet in babilonem, qui est in lacu leonum, quia divine gratie visitatio hortatur ordinem propheticum, ut per omne sue prophetie ministerium future incarnationis filii dei celebret mysterium. Abacuc respondit: babilonem non vidi et lacum nescio, quia dispensationem future incarnationis ordini prophetico non conceditur corporeis videre oculis. Multi enim inquit reges et prophete voluerunt videre que vidistis, et non viderunt. Angelus abacuc in cincinno capitis sui apprehendit, dum divine gratie visitatio ordinem propheticum in subtili sue mentis acie ad celestia mysteria contuenda evehit. Sicut enim a capite membra reguntur, sic cogitationes in mente disponuntur. Angelus abacuc in impetu spiritus sui super lacum deponit, dum divine gratie visitatio ordini prophetico in sue contemplationis sublimitate labores et temptationes filii dei in assumenda quandoque humanitate ostendit.

Respondit que vir dei ad regem. SEQUITUR. Si dederis mihi mediam partem domus tue, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco isto.

VIR dei regi respondet, dum dei filius synagoge ostendit, quod in cerimoniis legalibus complacitum sibi non sit. Si dederis inquit mihi mediam partem domus tue, sine fructu interioris allegorie, solum veteris testamenti exteriori intendendo littere. Si dederis mihi mediam partem domus tue, labiis me honorando, domine domine exclamando, cor autem a dilectione mea alienando. Non veniam tecum, quia illud cerimoniarum legalium a te non recipiam commercium. Non veniam tecum, quia per illa tua figurativa sacrificia non impertiar mundo vera salvationis mee remedia. Non comedam panem, quia meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei. Neque bibam aquam, quam a samaritana quandoque requiram, quia in cruce sitim meam refici exposcam. In loco isto, in cerimoniarum legalium apparatu et in veteris testamenti cultu. Sic enim mandatum est mihi in sermone domini precipientis, in dispensatione dei patris, precepto sue obedientie in hunc mundum me mittentis. Non comedas panem neque bibas aquam in loco isto. Nec revertaris per viam qua venisti, scilicet in crucis ara non reversus eris per illam viam veteris testamenti, qua factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeres in carne venisti. Abiit ergo per aliam viam, et non est reversus per iter quo venerat in bethel. Vir dei per aliam viam abiit, quia filius dei oblatione sui corporis et sanguinis novum testamentum instituit. Non est reversus per iter quo in bethel venerat, quia filius dei in crucis ara non est reversatus per illam institutionem veteris testamenti, qua se quondam per sanguinem thaurorum hircorum et arietum synagoge ostendat. SEQUITUR.

Propheta autem quidam senex habitabat in bethel, ad quem venerunt filii sui et narraverunt ei omnia opera que fecerat vir dei in illa die in bethel, et verba que locutus fuerat ad regem, et narraverunt patri suo. Et dixit eis pater eorum: per quam viam abiit? Ostenderunt ei filii sui viam per quam abierat vir dei qui venerat de iuda. Et ait filiis suis.